

Questio Unica. Articulus Tertius.

tum esse vel tale tempus est diuisibile vel indiuisibile non indiuisibile quia oportebit illud indiuisibile esse immediatum indiuisibili temporis in quo mobile incepit mutari in quo scz adhuc erat mobile in termino a quo et sic indiuisibilia erunt imediata in tpe quod reprobatur est. Si dicatur qd sit diuisibile diuidatur in duas partes aut ergo in vtraq; mutatum est aut in neutra vel in alia mutat et in alia mutatum est. Si in vtraq; sequitur qd mutatum esse in toto supponit mutatum esse in parte ergo non erat datum primum mutatum esse. Si in neutra sequitur qd nec in toto mutatum est. Si in vna mutat et in alia mutatum est sequitur qd totum tempus illud non est primum in quo mutatum est quia solum mutatum est in eo ratione partis. Item si in vna parte sit mutatum cum omne mutari sit diuisibile sicut est motus cuiuslibet partis motus sit mutatum esse sequitur qd illud mutatum esse non erat primum. Secundo patet ex parte mobilis quia ex mobili non est dare primam partem que mutata sit. i. signum transiit ergo nec prima pars motus ante patet quia si detur oppositum detur tempus in quo sit mutata vna pars et cum tale tempus non sit indiuisibile sequitur qd in medio illius temporis vna pars illius partis prius mutata est et tota pars sit mutata in toto tempore et cum illud tempus sit diuisibile in infinitum et similiter illa pars sequitur qd in mobili non sit dabilis pars que sit primo mutata.

Conclusio decima ante omne mutari est mutatum esse probatur nam omne mutari est diuisibile ergo ante omne mutari est mutatum esse secundum partem illius mutari et declaratur in litteris. Sit enim magnitudo k.l. super quam moueantur a. et b. eque velociter et simul incipiant moueri. sed a. quiescit in medio illius magnitudinis b. vero moueatur vsq; ad finem et sit totum tempus in quo b. mutatur vsq; ad finem. d. c. quod etiam diuidatur per medium in l. tunc arguitur quando a. venit ad medium magnitudinis date actu mutatum est cum ibi quiescat. ergo cum b. simul incipiat moueri et eque velociter moueatur quando ibi venit etiam ibi mutatum est et cum postea moueatur adhuc sequitur qd mutatum esse in illo puncto precessit mutari super aliam medietatem illius magnitudinis et cum prima medietas iterum sit diuisibilis in infinitum sequitur qd ante omne mutari erit dabile aliquod mutatum esse respectu partis precedentis et cum non possit dari aliqua pars magnitudinis quin detur alia prior propter diuisibilitatem eius in infinitum sequitur qd non dabitur mutari quin ante ipsum sit aliquod mutatum esse.

Aduertendum est. Circa hanc conclusionem qd mutatum esse ante vltimum terminum motus non est in ipso motu nisi secundum potentiam sicut nec sunt puncta intermedia actu in linea nisi sit actu diuisa et quia potentia non cognoscitur nisi per actum: ideo in presenti ratione philosophus notificat mutatum esse quod non est nisi in potentia in motu per aliquid mutatum esse quod est actu terminus motus sicut si ostenderetur aliquod punctum secundum potentiam esse in aliqua parte linee diuidendo lineam actu in illud punctum. Secundo probatur conclusio ex parte temporis quia quod mutatur primo in aliquo toto tempore mutatur in qualibet parte illius temporis partes autem in tempore diuiduntur ab inuicem per nunc ergo quod mutatur in aliqua parte temporis mutatum est in nunc terminante illam partem et distinguente eam ab alia parte et data qualibet parte temporis ipsa est diuisibilis in infinitum ergo in qualibet parte temporis sunt infinita nunc et per consequens

sunt infinita mutata esse in motu quare non potest dari primum mutatum esse.

Conclusio vndecima. Ante omne mutatum esse est mutari patet: quia omne mutari terminatur per mutatum esse cum motus et mutari idem sunt. Et si arguatur de generatione et corruptione que non mensurantur tpe et sic non videtur qd ante genitum esse sit generari de quo generatio et corruptio si sumantur secundum suas rationes mensurantur instanti temporis et ita generari et genitum esse simul sunt. Si tamen capiantur secundum esse quod habent in materia id est secundum alterationem sibi adiunctam sic tempore mensurantur et hoc modo intelligit philosophus cum dicit omne quod genitum est prius generabatur et omne quod corruptum est prius corrumpebatur.

Contra hec ante primo qd motus fiat in instanti quia anima rationalis subito informat aliquam partem materie de nouo et subito est in aliquo toto in quo prius non erat ergo mouetur in instanti. Et sic patet in augmenta tione vel in generatione que fiunt in instanti. Nec potest dici qd anima tunc moueatur per accidens: quia stat qd totum compositum non moueatur localiter quando anima de nouo informat vnam totam partem materie quem prius non informabat. Item veritas huius propositionis motus est/ est in instanti ergo et ipse motus antecedens patet: quia si non sit in aliquo instanti ergo continue corrumpitur et suum contradictorium in quolibet instanti erit verum.

Secundo ante. Motus sentitur in instanti et est in instanti. Et sic patet quia sensatio fit in instanti et tenet consequentia quia sensus in actu et sensibile in actu sunt simul. Item fortis mouetur in aliquo toto tpe: ergo mouetur in quolibet instanti illius temporis. Tenet consequentia per philosophum. t. c. xxxi. et. d. l. xvij. vbi dicit qd si a. in toto c. quiescit sequitur qd quiescat in quolibet quod est eius siue sit diuisibile siue indiuisibile. Item philosophus primo phi. et. viij. dicit. non enim si partibile in infinitum est quod alteratur propter hoc et alteratio. sed velocius fit. sed velocius expositione premitur valet sicut subito hoc est in instanti et non in tempore ergo motus fit in instanti. Et quasi obijcit contra se quod videtur repugnare illi quod dicitur in. vi. scz ante omne moueri est mutatum esse et ante omne mutatum esse est moueri et respondet soluendo qd illud intelligitur de motu in quantum primum et diuisibilis est istud autem intelligitur de motu in quantum ad generationem et productionem ad actum. Item ad istam intentionem videtur philosophus premisisse quoddam exemplum de guttis quod non est necesse si multe gutte aliquam partem amoueant de lapide penetrando lapidem qd etiam quelibet gutta aliquid amoueat sic qd pars amoueatur ante partem sed aliquando totum simul amouetur quemadmodum multi trahunt nauem simul in eodem tempore. Nullus tamen per se posset in multo tempore trahere eam ex quibus videtur inuere qd sicut tota pars lapidis simul amouetur et non pars post partem ita etiam aliquando fit in alteratione contingit enim aliquid totum simul alterari et non dimidium prius. velut aquam simul totam coagulari et ex hoc videtur qd motus localis fit in instanti: quia post guttas pars lapidis tota simul et subito secundum philosophum amouetur. Item ante. quia inter contradictoria non est medium igitur inter non esse forme inducende per motum et esse ipsius non est medium. Non esse autem ipsius fuit in vltimo instanti forme precedentis igitur inter istud instans et illud quod mensurat esse forme succedentis non est medium sed si nullum esset ibi subito productum seu in instanti esset medium ergo alteratio fit subito.